

Transcribed by Tuomas Vaura<sup>1</sup>

### **Abbreviations**

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

### **Liber 2, distinctio 12, quaestio 3. (fol. 17ra)**

#### **Utrum in uno individuo possint esse plures formae substantiales?<sup>2</sup>**

Uta (sic) hoc, gratia praecedentis quaestionis, quaeritur utrum hoc sit verum, scilicet quod in uno individuo possint esse plures formae substantiales? Et videtur quod non, quia differentia est inter formam substantialem et accidentalem, quia una dat esse simpliciter per cuius acquisitionem fit generatio simpliciter, et per cuius ablationem fit simpliciter corruptio. Accidentalis autem dat esse secundum quid, et sua praesentia vel absentia non facit generationem nec corruptionem, sed solum alterationem, sed prima substantialis. Ergo omnis post ea adveniēns est accidentalis.

Item, si per aliam formam panis est corpus et per aliam panis, poterit substantia panis converti et remanebit corpus subiectus illis accidentibus, quod videtur esse contra fidem, quae dicit quod accidentia sunt sine subiecto.

Item, vivere viventibus est esse, ergo mori morientibus est corrumpi. Sed si per aliam formam Christus habuit esse et per aliam vivere, ergo separata anima, adhuc corpus eius habebat esse substantiale, et sic non perdidit esse, quod est contra veritatem suae mortis.

Item, cum in Christo fuerint os et caro et nervi et sanguis, aut haec omnia habent esse per unam formam, scilicet corpoream, aut per plures. Si per plures, cum panis non convertatur nisi in substantiam corporis Christi, tunc vi sacramenti non erit ibi vera caro et sanguis, cuius contrarium

---

<sup>1</sup> The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 12, q. 3, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

<sup>2</sup> I would like to thank Russell Friedman, who kindly allowed me to see his transcription.

dicit veritas, qui manducat etc.,<sup>3</sup> et caro mea vere est cibum et sanguis vere est potus.<sup>4</sup>

Item, *V Metaphysicae*,<sup>5</sup> dicitur, quod unum dicitur quatuor modis, scilicet numero, forma, genere, et proportione. Et habent se per ordinem, quia quod non est unum genere, non est unum specie, et sic de aliis. Et constat, quod si unum numero esset vivum et mortuum, ergo oportet quod sit specie et genere, quod absurdum dicere, et idem specie essent ignis et aequa.<sup>6</sup>

### **Contra,**

si in composito non est nisi una forma, ergo ea separata non remanet aliqua nisi materia nuda. Sed nulli tali rei debetur reverentia, nec sepultura etc., quod est contra fidem.

### **Respondeo,** dicendum, quod circa quaestionem

istam est duplex positio valde solempnis. Quidam enim dicunt, quod [in composito]<sup>7</sup> non est nisi una [forma]<sup>8</sup> substantialis, quae continet in virtute omnis praecedentes, ut anima rationalis, quae dat esse corporeum, vivum, animal et hominem. Et ratio eorum est tacta in opponendo.

Sed contra istam positionem sunt plures rationes, quarum una sit haec. Quia  
<17rb>

quicquid est in genere, per se participat principio illius generis. Sed ossa et caro et nervi vere sunt in genere substantiae, ergo sunt composita ex materia et forma illius generis. Probatio consequentiae, quia secundum Boethium genus, quod est praedicamentum substantiae, est compositum. Sed si non esset in homine nisi una forma, tunc non esset os et huius in genere nisi per reductionem.

Item,<sup>9</sup> impossibile est quod unum oppositorum det esse formaliter reliquo. Sed anima rationalis est quid spirituale et non quantum. Ergo impossibile est quod det corpori esse quantum formaliter.

Item, in corpore Christi non sunt nisi quatuor, divinitas, anima sua, et materia et accidentia. Sed quando panis convertitur in corpus Christi, non potest dici, quod convertatur in divinitatem, nec in animam, quia anima non est ibi nisi per consequens sive per concomitantiam et non vi sacramenti, nec in accidentia, nec in materiam primam.

### Item,

si anima Christi dabat esse corpus et omnia alia, tunc cum per mortem fuerit fuerit (sic) separata, non remansit nisi materia pura, cui non competit iacere in sepulcro, et per consequens nec in cruce pendere, quia illa non habet situm de se.

---

<sup>3</sup> Joh 6:57.

<sup>4</sup> Joh 6:55.

<sup>5</sup> Aristoteles, *Metaphysica* V.6, 1016b.

<sup>6</sup> Add. in marg. *Item, Commentator, De substantia orbis, loquens de materia, dicit, si igitur materia haberet formam, nullam aliam reciperet, nisi illa destructa. Unam enim formam habere nisi unum subiectum impossibile <est>. Quod enim est actu non recipit aliquid secundum quod est in actu.*

<sup>7</sup> Add. in marg.

<sup>8</sup> Add. in marg.

<sup>9</sup> Add. in marg. *item*

Item, Philosophus dicit, quod anima est actus corporis physici organici potentia vitam habentis.<sup>10</sup> Ergo praesupponit ante suam coniunctionem illa existere, vel tempore vel natura, alioquin coniungeretur materiae<sup>11</sup> nuda et non organicae.

Item, Commentator dicit, *II Physicorum*,<sup>12</sup> quod omnia, quae sunt inter materiam primam et formam ultimam, sunt formae compositae.

Item, formae sunt sicut numeri, *VIII Metaphysicae*. Sed unitas adveniens quinario facit senarium. Nec potest dicere, quod ibi sit sola materia numeri, scilicet unitas, immo vere est quinarium, quod patet per eius ablationem, quia ablata illa unitate, non destruitur quinarium, nullo alio addito remanet, et sic erit in animali, etc.

Sed auctoritates huius positionis haec advertentes nituntur se defendere per quandam distinctionem, quae est talis, quia materia potest accipi dupliciter, scilicet indeterminata, ut secundum se ab omnibus formis absoluta, et sic dicunt quod materia habet aliquo modo esse, non tamen potest dici corpus nec totum. Secundo modo accipitur materia determinata et per qualitatem affectam et alia accidentia physica, quibus mediantibus recipit diversitatem in partibus, et facit os et nervos et carnes.

Item, dicunt quod corpus potest accipi ut genus, et sic praedicatur de animali, et est compositum ex forma et materia. Et potest accipi ut pars, et sic non praedicatur, quia pars non praedicatur de toto, nec est compositum ex materia et forma, nec dicit materiam et formam, sed materiam signatam quantitate, affectam qualitate. Et per istam distinctionem defendunt se sicut possunt, sed<sup>13</sup> in veritate non possunt.

Suppono enim ad praesens, quod in rebus extra animam non sit dare naturaliter materiam sine forma. Hoc enim dicit Augustinus, *De libero arbitrio*,<sup>14</sup> expresse in pluribus locis.

Item, Philosophus, *IV Physicorum*,<sup>15</sup> dicit, quod materia non est separabilis a forma, sive ab altero contrariorum, licet ratione sit diversa.

Item, *I De generatione*,<sup>16</sup> quod non est possibile materiam esse sine morphea, id est, substantiali forma.

Item, Commentator, *Super IV Physicorum*,<sup>17</sup> hoc idem dicit. Et sic unum membrum destruitur distinctionis eorum.

---

<sup>10</sup> Scripsit sed del. *si*

<sup>11</sup> Scripsit sed del. *pure*

<sup>12</sup> Averroes, *In II Physicae* com. 10.

<sup>13</sup> Add. in marg. *contra*

<sup>14</sup> Augustinus, *De libero arbitrio* lib. 2, cap. 16.

<sup>15</sup> Aristoteles, *Physica* IV.9, 217a.

<sup>16</sup> Aristoteles, *De generatione et corruptione* I.7, 324b; I.10, 328b.

<sup>17</sup> Averroes, *In II Physicorum* com. 12.

Alterum etiam membrum est contra Philosophum, magistrum eorum, *VII Metaphysicae*, qui dicit, quod accidentia sunt posteriora tempore dicta(?) et cognitione. Et ipsi volunt, quod materia illa possit affici accidentibus sine forma substantiali.

Secunda etiam distinctio non valet per ea, quae iam dicta sunt. Et etiam quia omne corpus est in praedicamento substantiae, et de eo substantia praedicatur, quae est composita ex materia et forma, ut dicit Boethius.<sup>18</sup>

Etiam certum est quod corpus sit sumptum in generali, quod praedicatur<sup>19</sup> et poterit praedicari de corpore, quod est pars compositi. Non autem posset nisi et illud esset componitur.

Praeterea, certum est, quod non est dare in rerum natura aliud corpus nisi corpus quod est pars compositi, ergo quid fantasticantur.

Et ideo dicendum secundum saniolem doctrinam, quod in uno composito sunt plures formae substantiales, vel possunt esse, nisi in simplicibus. Et hoc est consonum veritati Sacrae Scripturae, in principio *Genesis*.<sup>20</sup> Est etiam consona veritati fidei catholicae, et hoc quantum ad Christi conceptionem, et quantum ad eius mortem, et in quantum habet esse sub sacramento. Est etiam consona veritati rectae rationis, quia quanto forma nobilior tanto actualior et a possibilitate remotior, sed anima rationalis, etc. Est etiam consona auctoritati philosophiae, ut patuit in arguendo.

**Ad primum argumentum in contrarium**, dicendum, quod forma substantialis dat esse simpliciter, quia in genere substantiae, quod distinguitur contra accidens, et tunc est vera illa propositio. Si autem dicas, quod det esse perfectum et quietum, non est uerus nisi secundum gradum.  
<17va>

**Ad secundum**, dicendum, quod quando panis convertitur in corpus Christi, fertur virtus conversiva non ad formam panis solum, sed ad totum compositum.

**Ad tertium**, dicendum, quod vivere est esse viventibus non simpliciter, sed secundum genus determinatum, puta esse vivum. Et illud bene volo, quod destruat. Et sic in Christo vere fuit destructum esse vivum per mortem suam. Et quod iste sit intellectus Philosophi in ista propositione, patet ibidem per suum Commentator, qui ita exponit.

**Ad quartam**, dicendum, quod panis convertitur in corpus determinatum, quod est carneum, non in corpus commune solum, quod facit esse in genere substantiae corporeae, quia illud est fictio quaedam.

**Ad quintum**, dicendum, quod unum numero dicitur de uno singulari, sed unum specie vel genere non dicitur nisi de pluribus, ut dicit Commentator. Unde dicit, quod istud, quod est unum numero est unum specie, cum eo a quo differt numero.

---

<sup>18</sup> Boethius, *In Categorias aristotelis* 1.

<sup>19</sup> Scripsit sed del. *praedicatur*

<sup>20</sup> Gen. 1.